



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum de necessitate salutis sit diligere inimicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Inf. d. 33.

7 AD Primum argu. dicendum q̄ Deus non diligit vnum plus q̄ alium accipiendi gradus dilectionis secundum intentionē actus diligendi, sed solum quantum ad gradum boni voluti. Et respectu talis boni diligit plus meliorem. Sed melior est aliquis quandoq̄ secundum presentem iustitiā qui non est melior secundum presentiam, & secundum hoc melior presentialiter nō diligit plus simpliciter, quia nō est tantum bonum gratiā quod quis habet presentialiter quam est bonū glorię quod preparatur aliis secundum presentiam. Et eodem modo quantum ad velle approbationis & cōplacētia de bono habito plus diligimus meliores, sed quantum ad velle desiderii, & operationis de bono habendo plus vel tantū diligimus propinquos licet actualiter minus bonos, & pręter hoc est in nobis gradus intentionis in actu diligendi propter maiorem coniunctionem quam habent. Aliqui ad nos plusquā alii. Aliiter respondetur communiter quod in hoc confortamur deo q̄ plus diligimus eos qui nobiscum magis cōmunicant sicut & ipse eos qui secum magis cōmunicant quamuis non sint idem hi & illi.

8 Ad secundum dicendum q̄ si ad dilectionē propinquorum ex charitate nō concurreret alia ratio diligendi quā illa quam imperaret charitas, tunc extranei meliores essent magis diligendi quam propinqui minus boni propter rationē quā tangitur in argumento. Sed quia in dilectione propinquorum includuntur plures rationes diligendi quā in dilectione extraneorum ut declarati sunt. Ideo plus diligendi sunt propinqui quā extranei.

Sententia huius distinctionis. XXX. in Generali & Speciali.

HIC Quæri solet. Superius determinavit Magister de ordine charitatis secundum quadruplicem modū dilectionis. Hic determinat de ordine charitatis secundū quantitatem meriti. Et dividitur in sex. Primo movet questionem. Secundo respondet ibi, sed hæc cōparatio. Tertio obicit in contrariū ex auctoritatibus Aug. ibi, Aug. tamen. Quarto determinat auctoritatem ibi, quod si quis simpliciter. Quinto movet ex dictis incidentem questionem ibi, Illud verō quod sequitur. Sexto verō determinat eam ibi, quidam quod hic dicitur. Hæc est divisio &c.

2 IN Speciali sic procedit. Primo quærit quid sit magis meritorium diligere amicos, an diligere inimicos. Respondet q̄ dupliciter potest intelligi comparatio ista. Vno modo ut comparetur dilectio amici ex vna parte ad dilectionem amici & inimici ex altera, & sic dilectio secunda est magis meritoria q̄ prima. Alio modo q̄ in eodem homine comparetur dilectio amici ad dilectionē inimici & sic siue sit vnus actus dilectionis siue duo quo diligitur amicus & inimicus semper videtur q̄ dilectio amici sit potior, quia est feruentior. Arguitur tamē in contrariū per Aug. qui dicit quod diligere inimicos est perfectior & nō est tot hominum quorū exaudiuntur in oratione dominica cum dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c. Et sic dilectio inimicorū videtur potior q̄ dilectio amicorū. Et respondet ad hoc secundū distinctionem suprapositam q̄ Aug. intelligit perfectiorē esse dilectionem qua diligitur amicus & inimicus simul quā sit illa qua diligitur solum amicus. Tunc movet dubitationem ex hoc q̄ dicit Aug. q̄ dilectio inimicorū nō est tot hominū quorū exaudiuntur in oratione dominica, cum dicitur, Dimitte nobis debita nostra, quia nulli dimittitur peccata nisi sit in charitate. Si ergo plures exaudiuntur in prædicta oratione dominica q̄ sint illi qui diligunt inimicos, sequitur quod diligere inimicos nō cadit sub præcepto charitatis quod est inconueniens cum nomine proximi ois homo intelligatur, cū dicitur, Diliges proximum tuū sicut teipsum. Et respondetur dupliciter. Vno modo quod diligere inimicos est perfectius in præceptum, sed imperfectus est solum consiliū. Alio modo respondet quod dilectio inimicorū est perfecta per quam exhibentur eis signa dilectionis oratio, & eis beneficiando solum est perfectiorum, nec cadit sub præcepto quantum ad omnes generaliter, & sic intelligit Aug. Et in hoc terminatur &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum de necessitate salutis sit diligere inimicos.

Tho. 2. 2. q. 25. ar. 3. q. 9.

Circa distinctionem istam primo quæritur, vtrum de necessitate salutis sit diligere inimicos. Et arguitur quod non, quia natura non inclinatur in contrarium charitatis, sed quælibet res naturaliter odit contrarium charitatis, & charitas, sed inimicus est contrarius nobis & charitati, ergo non est diligendus sed odiendus.

2 Item non est necessarium illum diligere cui licet malum optare, & de cuius malo licitum est gaudere, sed inimicus licitum est mala optare, & de malis eorum gaudere, igitur &c. Maior de se patet, minor probatur ex hoc q̄ in sacra scriptura frequenter ponuntur imprecationes malorum contra inimicos & in gaudium, & in consolationem bonorum prædicatur destructio inimicorum, quare &c.

3 Et confirmatur hoc per illud quod dixit Dominus Mat. 5. Audistis quod dictū est antiquis diliges amicum tuum & odio habebis inimicum tuum.

4 IN CONTRARIUM est quod dicitur Mat. 5. Diligite inimicos vestros. & ibidem, Si diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? q. d. nullam. ergo sine dilectione inimicorum vel non diligentium non est salus.

5 **R**ESPONSI O. Cum charitas attendatur penes affectum, & effectū, ut dictū fuit supra, di. 29. q. 1. ideo circa quæstionē istam videnda sunt duo. Primum est vtrum teneamur eis exhibere signa dilectionis in effectum.

6 Quantum ad primum sciendum est quod inimicus potest capi dupliciter, scilicet formaliter secundum quod inimicus, vel materialiter secundum quod homo ad imaginem dei existens. Primo modo nō tenemur diligere inimicum. In quantum est inimicus, imō magis odire. Cuius ratio est, quia approbare malum culpæ in alio peruersum, & charitati contrarium. Sed diligere inimicum in quantum inimicus est, virtuoso & habenti charitatem est approbare malū culpæ in eo, ergo hoc est peruersum & charitati contrarium. Item æqualis peruersitatis est odire amicum & diligere inimicum accipiēdo vtrumq̄ formaliter. Sed per se malum est odire amicum in quantum amicus est, ergo & diligere inimicum in quantum inimicus est. Si autem accipiatur materialiter, scilicet in quantum homo ad imaginem dei existens. Sic dicendum est quod diligere inimicum in generali est de necessitate salutis, ut scilicet Diliges Deum & proximum, ab illa generalitate non excludat inimicū, sed nō de necessitate salutis ut speciali motu dilectionis afficiatur aliquis ad inimicū nisi ubi apparet euidēs necessitas. Primum patet, quia charitas attrahitur in eo qui ex charitate diligitur ratione diuine imaginis secundum quā est capax beatitudinis, sed hæc ratio inuenitur in omni homine tam amico q̄ inimico, ergo secundū hanc rationē generalem in dilectione charitatis includitur inimicus. Secundum patet, quia ille motus dilectionis qui nō est de necessitate salutis ad amicum nō est de necessitate salutis ad inimicum, sed specialis motus dilectionis ad amicum nō est de necessitate salutis extra casum necessitatis nisi secundum præparationē animi si necessitas adesset, ergo multo minus est de necessitate salutis ad inimicum, & sic patet primum.

7 Quantum ad secundum aduertendum est q̄ cum effectus exterior dilectionis correspondeat interiori affectui sicut tenemur diligere inimicū affectu, ita tenemur exhibere signa dilectionis in effectu. Cum ergo (ut patet ex primo articulo) interior affectus dilectionis ad inimicum sit de necessitate salutis solum in communi, nō autem in speciali nisi secundum præparationem animi (s. si necessitas adesset) sic dicendum est signa & beneficia dilectionis quæ exhibentur generaliter proximis pura cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, non sunt neganda, vel subtrahenda inimicis, hoc enim pertinet ad liuorem vindictæ contra illud quod dicitur Leuitici decimonono, non quæres vltionem, nec memoreris iniurię cuius tuorum, beneficia verō vel dilectionis signa quæ quis exhibet specialiter & particulariter aliquibus personis non est necessarium exhibere

bere inimicis, quia nec est necessarium, sed perfectio-
nis talia exhibere amicis extra casum necessitatis. In casu
autē necessitatis est necessarium vtriusq; tam amicis quam
inimicis talia exhibere, secundum illud Prou. 25. Si esurie
rit inimicus tuus tibi illum, si sitit da potum illi.

8 Ad primum arg. dicendum q; natura sicut inclinatur
in odium contrarii sic & charitas. Charitas enim inclinatur
in odium inimici inquantū inimicus est, secundum illud
Psal. Perfecto odio oderam illos, sic enim est charitati q; con-
trarius, inquantum autē est homo ad imaginem dei existi-
s, & capax beatitudinis, sic nō esset contrarius charitati,
sed potius haberet id quod in vnoquoq; attendit chari-
tas. Et hoc modo est ex charitate diligendus.

9 Ad secundum dicendum q; nō est necessarium dilige-
re ex charitate cui licitū est optare malum oppositum bo-
no quod per se respicit charitas. Tale enim bonū est gra-
tia & gloria, quorū oppositū nō est licitū optare cuiusq;
inimico. Ad bona autē temporalia nō respicit charitas
nisi inquantū ordinantur ad bonum gratiæ & gloriæ. Et
quia prosperitas in his bonis quādoq; est occasio subuer-
sionis bonorū gratiæ secundum illud Deut. 32. Incessatus
est dilectus & recalcitrauit & dereliquit Deum factorem
suum. Aduersitas verō occasio est reuertendi ad Dominū,
secundum illud Ozeæ. 6. In tribulatione sua mane consur-
gent ad me. Ideo licitū est tam amicis q; inimicis talia
mala optare. Et de ipsis si eueniant gaudere non quia mā-
la sunt, sed quia promerita sunt ad bonum, vel impediti-
ua maiorū malorū. Rursus quia charitas ordinē habet
& plus debet quilibet se diligere quā alium, & propin-
quos quā extraneos, & amicos quā inimicos, & bonū
cōmune quā priuatum. Ideo potest aliquis salua chari-
tate optare malum temporale alicui nō inquantū malum
est illius, sed inquantum est impedimentum malorum al-
terius quem plus tenetur diligere.

10 Ad tertium dicendum q; nunquā scriptum est in lege
vereri, odio habebis inimicum tuū. Sed additum fuit ex
praua interpretatione Iudæorū, qui ex hoc quod præcipie-
batur dilectio amici. Leuit. 19. Concludebant q; inimici
essent odiendi. Dominus autē hanc interpretationē elisit
simul cum dilectione inimici addens consilium de offen-
sione signorū beneuolentiæ ad ipsū.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum diligere amicū sit magis meritorium quā
diligere inimicum, an e conuerso.

Thom. 2. 2. q. 27. ar. 7.

Secundo quaeritur vtrum diligere amicū sit magis me-
ritorium q; diligere inimicum, an e conuerso. Et argui-
tur q; diligere amicū, quia illud quod est melius est ma-
gis meritorium, sed diligere amicū est melius q; diligere
inimicū, ergo &c. Maior de se patet, sed minor probatur,
quia minus bonum dimittendum est pro magis bono si in-
cumbat necessitas alterum dimittendi. Sed dilectio inimi-
corum quoad exteriorē effectum qui affectui proportio-
natur, dimittenda est pro dilectione amicorū, quia quan-
do non possumus vtriusq; subuenire teneamur subuenire
amicis, dimissis inimicis, quare &c.

2 Itē si oppositū in opposito, & propositū in proposito,
sed odire amicū est peius q; odire inimicum, ergo diligere
amicū est melius, ergo est magis meritorium.

3 IN CONTRARIUM arguitur, quia secundū
Greg. Seruitia tanto sunt magis accepta, quāto minus de-
bita, sed minus est debitum diligere inimicum quā ami-
cum, ergo est Deo magis acceptum, quare & magis me-
ritorium.

4 RESPONSIO. Dilectio amici & inimici pos-
sunt dupliciter accipi. Vno modo sic q; vna excludit alte-
ram, vt cum aliquis sit diligit amicos q; nullo modo dili-
git inimicos, nec actu nec habitu, sed forte odit. E contra-
rio autem forte non est possibile q; aliquis diligit inimi-
cos & nō diligit amicos. Alio modo possunt accipi se q;
neutra excludat alterā. Primo modo quæstio est nulla,
quia comparatio secundū magis & minus tale supponit
vtrunq; esse tale, ergo comparatio secundū magis & mi-
nus meritorium inter aliqua supponit vtrunq; esse me-
ritorium. Sed dilectio amici excludens dilectionem inimi-
ci nō est meritoria cum ex charitate teneamur inimi-

cos diligere vt prius paruit, ergo nulla potest esse compa-
ratio inter ipsam & dilectionē inimici quæ sit magis me-
ritoria, quia altera nullo modo est meritoria, scilicet dile-
ctio amici excludens dilectionē inimici, dicente domino
Mat. 5. Si diligitis illos tantum qui vos diligunt quā mer-
cedem habebitis q. d. nullam.

6 Si verō vtrūq; dilectio sic accipitur q; neutra exclu-
dat alteram, adhuc hoc potest esse dupliciter, vno mo-
do quia vna nō solum nō excludit alteram, sed includit
& nō e conuerso, sicut cum aliquis actuali dilectione fer-
tur in amicū & inimicū, alius verō fertur in amicū
tantum nō includendo inimicū non tamen excludendo,
quia de inimico nō cogitat. Alio modo quia vna nō
excludit alteram nec includit. Primo modo quæstio nō
est dubitabilis, quia constat q; diligere amicū & inimi-
cū propter Deum perfectius est q; diligere amicū, quia
omne bonū secū includens aliud, melius est & perfectius
q; bonum includum & nō includens, sic est in proposito,
quare &c. Et iterum perfectior actus est qui se extendit ad
remotiora, sed dilectio qua diligitur amicū & inimicū
se extendit ad remotiora quā dilectio amici, ergo est per-
fectior, ergo &c.

7 Si verō vna nō excludat alteram, nec includat sicut
cum aliquis fertur per actum dilectionis in amicū nihil
cogitans de inimico, alius verō fertur per actum dilectio-
nis in inimicū nihil cogitans de amico, sic videtur quod
cæteris paribus. I. habitu charitatis in vtroq;, & inten-
tione actus hinc inde dilectio inimici est magis meritoria
quā dilectio amici. Quod patet dupliciter. Primo sic,
quando duo actus boni sic se habent quod procedunt ex
pari habitu & sunt eque intensi ad vnum tamen require-
tur maior conatus ex natura operis q; ad alium, ille ad
quē requiritur maior conatus est magis meritorius. Sed
ad dilectionem inimici si sit eque intensus sicut dilectio
amici requiritur maior conatus ex natura operis, ergo
est magis meritoria. Maior patet. Conatus enim maior
quando requiritur solum ex parte operantis qui est male
dispositus nō auget meritū. Alioquin plus mereretur in-
cōtinens q; tēperatus facie dō simile opus de genere virtu-
tis, quia oportet incontinentem plus conari propter ma-
lam dispositionē q; tēperatū. Hoc autem nō est verum,
quia tunc virtutes magis obessent q; prodesse. Sed quan-
do maior conatus requiritur nō propter indispositionem
operantis, sed propter difficultatem operis, tunc maior co-
natus facies q; actus difficilior sit eque intensus sicut actus
facilior auget meritū. Minor de se patet. q; ad diligen-
dum inimicū eque intense sicut aliquis diligit amicū
requiritur maior conatus cū sint hic plura repugnantia,
& pauciora attrahentia, quare &c. Secundo sic, ille actus
cuius tota intentio reducitur in charitatē est magis me-
ritorius q; ille cuius similis intentio nō totaliter reducitur
in charitatē. Et causa huius est quia meritū innotuit prin-
cipaliter charitati. Sed dilectio inimici est talis actus q;
tota ratio diligendi inimicū est charitas ad deum. Tota au-
tem ratio diligendi amicū nō semper est charitas, sed
concurrunt aliqua alia ratio, scilicet communicatio in aliis
quo bono consanguinitatis, vel ciuilitatis, vel huiusmo-
di, quare &c.

8 Sed contra hoc arguitur sic, sicut charitas necessario
exigit vt diligatur inimicus, sic ordo charitatis necessa-
rio exigit q; amicus plus diligatur quā inimicus, sed pro-
pter primum dilectio amici quæ dilectionē inimici exclu-
dit, nō est meritoria, vt dictū fuit, & ideo inter ipsam &
dilectionē inimici nō est comparatio quæ earū sit magis me-
ritoria, ergo propter secundū, dilectio inimici cū equatur
dilectio amici nō est meritoria, quare vt videtur inter ip-
sam & dilectionē amici nō est recta comparatio quæ ea-
rum sit magis meritoria, ergo quæstio in hoc sensu est
nulla. Et dicendum ad hoc quod diligere amicū plus
quam inimicū est de ordine charitatis respectu eius-
dem diligentis in casu necessitatis quando affectus cum
effectu nō potest vtriusq; exhiberi. Tunc enim idem ho-
mo inimicū eque diligens, vt amicū peccat facien-
do contra ordinem charitatis. Sed respectu diuersorum
diligentium, maximè extra casum necessitatis nō est
contra ordinē charitatis quod vnus propter Deum velit
inimico tantum bonum & tanto affectu sicut alius vult
amico